



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VI. Quia damna quæ mundo suo peccato intulit Eva, hæc Virgo reparavit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

tus S. Dominici corporis ramum accipiens tempestate jactato humano generi detulit faulcè de caelo annuncians pacem.

Neque Myfterio caret id, ex pacis templo Romæ ad S. Mariæ Majoris una columna superest, quæ ante templum statuam S. Virginis portat, estque stricta, & sola superest ex illius templi tanto opere, integra. *Cancellatus Annal. Marian. an. 15. n. 7. Inde s. German. Constantinop. in psal. 44. Virginem appellat Coelum quod in eo planetæ defixi, licet indolis sint diversissimæ amicam pacem gerant. Vocat Div: Bovard: lib: de laud: Virg: Paradisum, quod ubi illa intervenit, pax velut in paradiso oriatur. Richard. à S. Laur. lib. 12. Incensum, quod dum furor Domini super populum sæviret, Moy ses jussisset Aaronem offerre. num. 16. Est Virgo Oleum quia ut s. Ambr. explicat. Cant. 1. lib. de insit. Virg. sap. 13. Intuso oleo fluctus maris mitescunt.*

Quare s. Thom. opuse. 8. dixit. In omni periculo potes salutem obtinere à Virgine gloriosa. Et Dionys. Carthus. lib. 2. de laud. B. V. art. 23. Ipsa est singulare & potentissimum Refugium perditorum, Spes miserorum, Advocata & Reconciliatrix omnium iniquorum ad eam confugientium.

Sed hunc discursum claudamus historiâ. Anno 1482. fervebat civilibus bellis Belgiana. Quidam pacis studiosus tres imagines titulo Matris dolorosæ populo colendas proposuit locis tribus, & ecce intra paucos menses totum restinctum est incendium. Ita Adrianus Lyrensis *Trysagij lib. 2. modo 45.* Ita Virgo S. populos ac regna componit.

6. Quia damna quæ mundo suo peccato intulit Eva, hæc Virgo reparavit.

Profitetur id clarè *Ecclesia in suo hymno.* Quod Eva tristis abstulit, tu reddis almo germine. Sed & *Graci in Mensis 3. Jan. ode. 8.* ita Virgini. Tu veteris Evæ maledictione sublata benedictionem mundo peperisti. In omnium persona s. *sabba 3. Jan. ode 9.* Maturas vitæ fruges ex te carpo, nihil damni à ligno scientiæ passus, tu enim es macularum omnium semper expers, ligno vitæ simillima, non alium nobis fructum germinasti (loco pomi) quam Christum.

Et certè ut *Innocentius III. serm. 2. de Assumpt.* Oportebat ut sicut per foeminam mors intravit in orbem, ita per foeminam vita rediret in orbem, & ideò quod damnavit Eva, salvavit Maria, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. *Epiphani. contra Antidicomarianitas.* Vetus Eva fætum suum priusquam pareret extinxit, noverca potius quàm mater appellanda, sed nova hæc Eva non morientium, sed reviviscientium Mater extitit. *s. Chrysost. hom. de interdictione arboris.* Planè restauratur per Mariam, quod per Evam perierat.

Apud *S. Hieron. de Assumpt.* Quidquid maledictionis infusum est per Evam, totum abstulit benedictio Mariæ. *Damian: serm: de Nativit: Virg:* Maria benedictio novæ influentiæ totum deterisit maledictionis antiquæ contagium. *Ildefons. serm: de Assumpt.* Hæc est illa per quam omnis maledictio soluta est primorum Parentum, & cœlestis benedictio venit in toto mûdo *Guerr: Abbas.* Quæ primæ Matris maledictionem dissolvit, ut per istam benedictionem hæreditate possideant, qui per illam sub præjudicio maledicti æterni fuerant nati. Antiquior illis *Jren. lib. 3. cap. 1.* Quod alligavit Eva per incredulitatem, hoc Maria solvit per fidem. *S. Thom. opus. 1.* Ideo benedicta in mulieribus, quia ipsa maledictionem sustulit, & benedictionem portavit, & januam paradisi aperuit. Et rursus *Jren. lib. 5. cap. 9.* Quemadmodum Eva per Angelicum sermonem seducta est ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus: ita & Maria per Angelicum sermonem evangelisata est, ut portaret Deum obediens ejus verbo, & sicut illa seducta est ut effugeret Deum, sic hæc suscipiens obedire Deo, ut & Virginis Evæ Virgo Maria fieret Advocata, & quemadmodum morti adstrictum est genus hominum per Virginem, solvatur per Virginem; & a lance disposita Virginali inobedientiâ, per Virginalem obedientiam: adhuc enim protoplasti peccatum per correptionem primogenitæ (Mariæ scilicet) emendationem accipiens, & serpentis prudentia deviata est in columbæ simplicitate. *S. Fulgentius de duplici Christi natura.* In primi hominis conjuge nequitia diaboli ductam depravavit mentem, in secundi autem hominis Matre gratia Dei & mentem servavit integram, & carnem.

S. Ildefons. lib. 2. de parturitione Virginis. Constat Mariam ab omni peccato virginali fuisse immunem, per quam non solum maledictio Matris Evæ soluta, verum etiam & benedictio omnibus condonetur. *S. Eucher. Lugdun: ad Evangelium Dom. 4. Adventus tom. 4.* Hæc sola inter omnes benedicitur, per quam mulieribus benedictio datur, & mundus à maledictionibus liberatur.

Hoc ponderat quando exclamat *Joan. Damasc. orat. 1. de Nativit.* O Deo digna Filia, humanæ naturæ Venustas, primigeniæ Matris Evæ Correctio. Et *Esichius Jern. orat. de laud. Deip.* O Virgo præclarum naturæ nostræ Ornamentum! Gloria nostræ, quæ Adamum pudore, & Evam comminatione liberavit, quæ audaciam serpentis abscidit. Hinc *Leo Sapiens orat. 1.* Nata est nobis Puella, formâ quidem æquæ ut Eva, sed errati ejus ut sit correctio. Et *Anast. Antiochenus orat. 1. in Annuntiatione.* Sicut per fæminam mors causata est, sic oportuit dispensari salutem per Fæminam. Per illam deceptam voluptate omnes mortui sumus, per hanc vivificati sumus, nos ea tantum excipientes à quibus excideramus, sed longè majora ac pretiosiora, quæ neque humanus intellectus possit concipere.

Igitur ut ait *Fulbertus Carnoten. de ortu Virginis;* Felix talis partus & ortus, de cujus substantia assumpta est talis Virgo, quæ tolleret æternas Parentum offensas, & rele-

relevaret concussum orbem, qui sub saevo duri hostis erat dominio. Speciale autem aliquid supra Evæ justitiam originale habuisse Divam Mariam *Gerson. tract. 4. in Magnificat deducit.* Nostra Beata Virgo semper habuit gratiam gratum facientem, quæ originali supereminet justitiæ, quâ primitus ornata fuit Eva, sed eam perdidit. Et quod spectat ad nostri generis ornamentum. Gloria est luti nostri Virgo, quæ Evam pudore, Adamum comminatione liberavit, ut dixit *Hesychius Jeros. orat. Deip.* Pulchre *S. August. lib. de 5. Heres. cap. 6.* S. Mariam confert cum Eva. Ecce Mater generis pœnam intulit mundo: Genitrix Domini nostri salutem & fœminæ, & viro suggessit. Auc̄trix peccati maledicta, Auc̄trix meriti benedicta, illa occidendo obfuit, ista vivificando profuit, percussit illa, at ista sanavit. Pro inobedientia enim obedientia mutatur; & fides pro perfidia compensatur.

Albertus Mag. super Missus cap. 54. alludens ad illud hymni. Mutans Evæ nomen, ita hoc ipsum ponit. Maria nomen Evæ mutavit non voce quidem sed re, illa quidem omnes generavit in mundum, ista in cœlos; illa Mater carnalis, ista Spirituâlis, ista Mater misericordiæ, illa miserix, illa principium mortalitatis, ista principium regenerationis, illa gratiam perdidit, ista gratiam invenit, illa de latere viri dormientis facta, ista de corde Dei vigilantis, illa viro suo fuit occasio perditionis, hæc viro suo ad jutorium redemptionis, illa desponsatur origo corruptarum, hæc desponsatur mensura virginum, illa prima virginitatem perdidit, ista prima virginitatem Deo consecravit, illa à diabolo decepta, ista ab Angelo edocta, illam diabolus vicit per superbiam, ista diabolum vicit per humilitatem. Et sic patet quare B. V. vocata est Maria, & non Eva; quia mutavit nomen Evæ non voce, sed re, id est damna quæ Eva intulit reparando.

7. Quia ad reparationem mundi concurrit.

Ad restaurationem humani generis sufficere poterat solus Christus, sicut omnis sufficientia nostra ex ipso est; sed bonum non erat nobis esse hominem solum, congruum magis erat, ut adesset reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Dixit *S. Bernar. serm. de Assumpt.* Et sicut ad ruinam nostram multum contulit Eva, decuit ut ad reparationem conferret Maria.

Quod ipsum expræsit *S. Jren. lib. 1. contra Valentinum cap. 33.* Sicut Eva inobediens facta est & sibi & universo generi causa mortis: sic & Maria habens prædestinatum virum, tamen Virgo obediens, & sibi & universo generi humano facta est causa salutis. Consonat *S. Anselm. lib. de laud. Virg. cap. 9.* Incomparabili sublimitate Virgo hoc promeruit, ut Reparatrix perditæ orbis dignissimè fieret. Quod antea *S. August. dixerat serm. de Assumpt.* Hæc primæ matris damna resolvit, hæc homini perditæ